

amisit : cui id solatii Traianus Cæsar dedit , vt filio quoque , quod rarum in iuvene , honor statuæ , perinde vt meritissimo parenti , cui idem triumphalem posuerat , haberetur. Quod nostrum est in æquali splendidissimæ Familiæ luctu , qua cura & studio possumus , faciemus , atque etiam statuam memoriæ DEFUNCTI publicam ponemus , non quidem marmoream , sed vel marmore durabiliorem , hoc est litterariam , quæ , vt illa externam formam expressit , ita præstantiora omnia , illustre genus , nobilia studia , & beatam ex vita migrationem referat. Huic autem monumento , quæ accepimus de ortu , educatione , studiis atque exitu ex vita , subscribemus.

Cui iusta hæc facimus lugubria , ea vere facimus suprema , quia nemini post hunc ex nobilissima eius stirpe facienda. Is erat FRIDERICVS DE STRAVS , iuuenis florentissimus , & tam generis antiquitate , quam gloria Maiorum nemini sui ordinis secundus. Patre enim natus est illustri & summo viro , IOANNE CHRISTOPHORO DE STRAVS , gloriosi Principis FRIDERICI WILHELMI MAGNI , Electoris Brandenburgici , cetera , in equestri militia Maiore Generali , & Præfecturarum Kantzig ac Himmelstæde Gubernatore : cuius præcla-

re